

*functionem præmittit de communicatâ sibi omnipotentiâ verè & mē-
 rē divina: Data est mihi, inquit, omnis potestas in cœlo & in
 terrâ. Matth. 28, 17. Quâ Discipulos, quos tanquam milites
 inermes in orbem profanum & infanum jamjam emissurus e-
 rat, ut illum fidei subjugarent, edocere, fortesque ac animo-
 sos reddere voluit, nē ex infirmitate fugerent illos, quibus su-
 periores esse debebant mandato & potentiâ divinâ, ab ipso
 orbis Dominatore acceptâ. Instructio ipsa trimembris est:
 Primò enim universalem omnium hominum vocationem Christus
 illis præcipit, ut scilicet exeant in universum mundum & Evange-
 lium prædicent omni creature, sive omnibus gentibus Mar. 16,
 15. It. Matth. 28, 19. & 20. Huic secundo annectit Baptismi (jamdu-
 dum instituti & administrati, Vide Luc. 3, 2. & seqq.) solemnem
 promulgationem & declarationem, quâ Evangelium recipientes
 baptizari jubet in nomine Patris & Filii & Spiritus S. Matth. 28,
 19. Tandem triplex subjungit promissum: Primum tum de fine
 fidei, omnibus credentibus & perseverantibus proposito, qui
 est salus animarum & vita æterna, tum de fine incredulitatis, re-
 liquis incredulis denunciato, qui est judicatio & damnatio;
 Job. 3, 18. & 38. 1. Pet. 1, 9. Qui crediderit, inquit, & baptiza-
 tus fuerit, salvus erit, qui vero non crediderit condemnabitur.
 Marc. 16, 16. Secundum est de virtute miracula edendi; de quâ
 dicit: Signa verò quæ sequentur &c. Marc. 16, 17. & 18. Hæc
 promissa potestas, quod obiter notamus, non universalis sed
 personalis & temporalis est, i. e. certo tempore & personis li-
 mitata est. Conf. Luc. 24, 49. Act. 1, 5. Tertium deniq; promif-
 sum est de gratiosâ suâ præsentia, quod nempe cum eis & cum o-
 mnibus piis esse velit omnibus diebus usq; ad consummationem
 seculi Matth. 28, 20. Vid. Christologias Meisneri
 Disputatio 43.*

Christo redivivo sit laus,
 honor & gloria in secula seculorum,
 Amen.